

quoniam satis magnus fuit inter Hippocr. lib. pulcher, & ordinatus continuâque oratione conscriptus, vt etiam si non tantus esset ob integritatem omnibus aliis esset præferendus. De via non litigabo, cum tamen Hippocrates non videatur inisse eam rationem quam Galenus omnino probat, sed vt sit resolutiua certè compositiua permixta conscriptus, vt cæteri libri qui plene aliquid docent, quanquam & illa diuisio artium sit, hic autem Hippocrates scientiam docet cum in nullo actu constet, nec facere quidquam doceat, vt etiam sit scientia contemplatrix.

Demonstrationis genus est, à causa ad effectum, simplicissimum ac nobilissimum, aut saltem propter quid dici potest si ad totam scientiam referatur. Sunt enim demonstrationes simpliciter perfectæ, vt in mathematicis primis, quædam simpliciter imperfectæ, vt in mathematicis subiectis: licet postremæ in Astrologia optica, Musica videntur simpliciter perfectæ demonstrationes. Primæ autem manifestæ sunt ab effectu supra causam.

De subiecto dicemus vbi de nomine libri agetur. Diuisio autem est in quatuor partes iuxta Alemanum, in prima agit de locis in generali, in secunda de Aquis (cæterum de Aquis) in tertiâ de Temporibus, ibi (cæterum de Annis hoc modo) quarta agit de regionibus vt Asia, & Europa, & vt ad cælum sita sunt, ac iuxta leges ibi (volo autem & de Asia.) Aliter diuisus est à Hieronymo Donzelino in capita duodecim, primum continet proœmium, secundum de situ vrbium ac ventis, tertium, quartum & quintum de Aquis, in tertio de ortis scilicet à terra, in quarto de descendentiis à cælo, in quinto de noxa aquarum malarum, in sexto de temporibus, in septimo de regionibus Africæ, in octauo, & nono de Asiæ populis, in decimo & vnde cimo de Scythiis, in duodecimo de Europeis.

•••••

## LECTIO II.

Super titulo.

*Hippocratis liber De Aère, Aquis & Locis.*

**G**alenus libro De libris propriis suo solito more inscriptionem antiquam huius libri sic mutasse testatur, Hippocratis. *De Habitationibus, Aquis, Temporibus, & Regionibus* (cap. sexto) Quod etsi melior esset parum tamen profutura est huiusmodi mutatio, nisi quis existimet in titulo libri cuiuscunque omnia quæ in illo tractantur explicari debere. Vt ergo videamus, si quid in antiqua desit, primum proponamus ea in quibus conueniunt: conueniunt sanè in Aquis, locos posuit pro regionibus, loci generalius habent significatum quàm regio, hanc stabilitatem velle sequi in scriptis sapientissimi viri iudicio maximè illius, & præcipuè nullius causa, nisi vt eum accusemus, penè impium nedum absurdum esse puto.

Tom. VIII.

Cum tamen ibi etiam magis de locis quàm regionibus agat. Inquit enim (lib. 4. tex. 24.) Vbi autem non in sua potestate viuunt homines neque sui iuris sunt, sed dominis parent, ibi non multum curiosi sunt: hoc autem non regiones distinguit, sed locos potius: Et inde clarius cum subiicit (Tex. 27.) Quicunque in Asia Græci itémque Barbari dominis non subsunt, vt non Paphlagones, à Phrygiibus aut Cilicis distinguat sed iusta loca: Et ita si proprietatem in titulo sequi voluerimus, neque de locis, neque regionibus, sed Gentibus titulum instituere oportebat. Hoc tamen commodi inest in Galeni descriptione, quòd singularum partium ordinem ex titulo, quo deinceps ab Hippocrate tractantur cognoscere licet. Velut quod primo agat de Habitationibus, vbi etiam de Ventis, in secunda parte de Aquis & ita de aliis: missa igitur hæc faciamus, & discrimen quæramus: Hippocrates inscribit de Aère, Galenus loco huius de Habitationibus & Temporibus posuit: Plura comprehenduntur sub hoc nomine aër, quàm habitationum & temporum nomine velut venti, auræ prauæ syderum constitutiones, immensus calor præter rationem, aut frigus, vt vicissim sub habitationis nomine alia etiam ab aère seiuncta continentur, cuiusmodi cubiculum, & quæ in domo sunt, & præsertim subterranea. Sed omissis inutilibus disquisitionibus potius videamus, quodnam sit subiectum huius libri, quænam tractatio, seu quæ mens Hippocratis, & quomodo pertineat hic liber ad artem medicinæ, ex eo enim discemus tractationem atque subiectum. Dico ergo, quòd Hippocrates intendebat per has peregrinationes quatuor præcipua consequi per se, & tertium quod ad illa consequeretur honestum, & vt ille dicebat in initio sui Operis:

*Dic mihi musa virum capta post tempora Troia*

*Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.*

Honestissima voluptas est ocium peregrinationis, adèd vt pro negotio censeretur, velut & pro negotio ocium haberi, tantum in eo est iucunditatis: mouetur corpus, quiescit animus. Homerus inter reliquos, & Strabo, ac Pausanias diu peregrinati sunt. Sic & ipse Hippocrates, Galenus, Paulus, & Principes maximam orbis partem peruagati sunt. Indicium de Galeno habemus, dum de vinis tractat. (Tertio de Victu in Acut. comment. 8.)

De Paulo distichon. Operi eius præpositum,

*Paulo laborem nosce me, qui plurimas.*

*Inuasit orbis terras Ægina satius.*

De Principe testantur qui vitam eius scripserunt. Sic nos mira de aquis Mutinensibus obseruauimus, cognoscimus præterea non solum formas hominum sed etiam temperaturas, quæ variantur iuxta regionum situm, vt docebat (cap. 7.) Galenus libro. Quòd animi mores corporis sequantur temperaturam, cumque non possimus mederi nisi exquisitè cognita, non solum temperatura vt primo ad Glauconem (Cap. 1.) sed etiam compositione, vt suo loco videbitur: constat si gratia exem-